Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

illis honorem debitum potestati. Ordinavit enim sic deus ecclesiam suam. ut omnis potestas or
dinata in seculo habeat honorem. et aliquando a melioribus. Sed exempli gratia unam rem dico.
hinc contexite gradus omnium potestatum. Prima et cotidiana potestas hominis in ho
minem. domini est in servum. Prope omnes domus habent huiusmodi potestatem. Sunt domini. sunt et
servi. Diversa sunt nomina dominus et servus. sed homines et homines paria sunt nomina.
Et quid dicit apostolus. docens servos dominis suis subditos esse? Servi obedite dominis vestris se
cundum carnem. Quia est dominus secundum spiritum. Ille est verus dominus et eternus. isti autem temporales se
cundum tempus. Tu cum ambulas in via. cum vivis in hac vita. non vult te facere superbum christus.
Contigit tibi ut christianus efficereris. et habes dominum hominem. non ideo christianus effectus es ut de
digneris servire. Cum enim christo iubente servis homini. non illi servis. sed illi qui iussit. Et
hoc ait. Obedite dominis vestris secundum carnem cum timore et tremore in simplicitate cor
dis. non ad oculum servientes quasi hominibus placentes. sed quasi servi christi. facientes bonam
voluntatem dei ex animo cum bona voluntate. Ecce non fecit de servis liberos. sed de
malis servis bonos servos. Quantum debent divites christo qui illis componit domum. ut
si fuit ibi servus infidelis. convertat illum christus. et non ei dicat. Dimitte dominum tuum. Iam
cognovisti eum qui verus est dominus. ille forte impius est et iniquus. tu iam fidelis et iustus.
Indignum est ut iustus et fidelis serviat iniquo et infideli. Non hoc ei dixit.
sed magis servi. Et ut corroboraret servum. hoc dixit. Exemplo meo ser
vi. quia prior ego servivi iniquis. Dominus enim tanta in passione sustinens. a quibus susti
nuit. non dominus a servis? Nam si fuissent boni servi. honorarent dominum. Sed quia mali servi e
rant. iniuriaverunt. Ille quid contra reddidit? Dilectionem pro odio. Ait enim. Pater ignos
ce illis. quia nesciunt quid faciunt. Si dominus celi et terre per quem facta sunt omnia servivit in
dignis. rogavit pro sevientibus et furentibus. et tamquam medicus se exhibuit advenientibus.
nam et medici et arte et sanitate meliores serviunt egrotis. quanto magis non debet
dedignari homo ex animo et ex tota bona voluntate cum tota dilectione servire
domino et malo? Ecce servit melior deteriori. sed ad tempus. Quod autem dixi de domino et
servo. hoc intellegite de potestatibus et regibus. de omnibus culminibus huius seculi. Ali
quando enim potestates bone sunt et timent deum. aliquando non timent deum. Iulianus exstitit
infidelis imperator. exstitit apostata. iniquus ydolatra. Milites christiani servie
runt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam christi. non agnoscebant nisi illum qui in celo
erat. Si quando volebat ut ydola colerent. ut thurificarent. preponebant illi deum.
Quando autem dicebat. producite aciem. ite contra illam gentem. statim obtemperabant. Distingue
bant dominum eternum a domino temporali. et tamen subditi erant propter dominum eternum et domino temporali.
Sed numquid erit sic semper. ut iniqui imperent iustis? Non sic erit. Videte enim quid dicat is
te psalmus. Quoniam non derelinquet dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Si non ibi relin
quitur. non erit in eternum. Veniet tempus quando unus agnoscatur deus. Veniet tempus quando